

*Stulta hac invidia est, cui cuncta recentia
sordent,*

Invida stultitia est, cui nova sola placent.

Nos verò Erasmi verbo in apophth. Capn. ludimus illos importunos antiquitatis admiratores, & immaturos probæ novitatis contemptores, optantes, ut nunquam mutent veteres calceos, aut putre subligar: semper vescantur putribus ovis, nec aliud bibant quàm vappam: cum non credant, omnem posteritatem suam cuiq; decus rependere, ut loquitur Cremutius ap. Tacit. lib. 4. annal. c. 35. historiamq; esse κληματα ἐς αἰὲς ζυγχιμεινον: perpetuum exemplorum thesaurum, ut eam vocat Thuc. lib. 1. humanæq; vitæ theatrum ad omnia mundi tempora congruens, ita ut in Mundo semper una eademq; ludatur fabula, mutatis tantum personis: Disputent jam ad facietatem usq;. Nos Laudamus Veteres, sed nostris utimur annis, Ovid. 1. fast.

17. Ne autem quis miretur, quo pacto & proposito jam dicta, tanquam aliena, huc irreperint, sciat: in exercitiis plurima subvenire nova, & non tantum horum usum hodie fieri frequentiore, studiumq; communius, (quod, quò magis vires sumit, eò plures introducere videtur novitates, donec totum pro recenti falso aestimetur) Verum etiam tractationem de his suscipere, rem esse novam, inauditam & hætenus nunquam ausam. Exin' multi inconsideratiores concludunt, secula deteriorari, aurea sibi præterita,

terita,